

*Est peccatum ad mortem, pro eo non dico ut roget quis (I Joan. v, 16), impenitens et subito mortuus, 1108 sine confessione et viatico, de corpore egredientem spiritum ei reddidit, cujus minister usque in finem exstiterat. Corpus ejus a nepotibus suis, quos in ecclesia illa honoribus sublimaverat, inventum in lectulo suo exanime, et enormiter tumidum, in basilica quadam humatum est: sed postea a Gaufrido Carnotensi episcopo Sedis apostolicæ legato inde extractum, alioque projectum est. Nepotes quoque ejus ab eadem ecclesia postea eliminati sunt, et omnis progenies et plantatio a radice avulsa, per externa regna, tanti iudicii circumferens querimonias, exsulavit. Tanto igitur malo obruto, et schismate Gerardi redacto in cineres, Vir Dei cum gaudio magno Claram-vallem revertitur. Ad sunt fratres, circumfusi pedibus ejus: gratias agunt Deo, qui bonis initiis feliciores proventus accumulavit, et servi sui humilitatem ubique glorificat et exultat.*

40. Nactus vero Vir Dei aliquod quietis tempus, aliis se negotiis occupavit, et secedens in casulam pisatiis torquibus circumtextam, solus meditationibus divinis vacare disponit. Et repente occurrunt ei in diversorio humili, quasi ad præsepe Domini consistenti, amatoria Cantica, et spiritualium ferula nuptiarum. Considerat et expavescit, quod Sponsus ille speciosus forma præ filiis hominum, in quem etiam Angeli prospicere desiderant, fuscam adamaverit sponsam, et decoloratam a sole, tanto extollat præconio, ut dicat eam totam formosam, nec ullam in ea maculam esse. Ipsam quoque sponsam dilectione languere miratur, et inquit diligenter, quæ sit illa charitas, cujus oscula [al. ubera] dulciora sunt vino, ad quorum delibationem tanto affectu anima impatienter anhelat. Cumque Sponsus multis laudibus sponsam attollat, non tamen in omnibus plenam ei sui copiam præbeat, nec usque ad plenitudinem satietatis se sponsæ desideranti concedat: quæsitus aliquando non invenitur, et post longos circuitus repertus teneatur, ne fugiat. Multo tempore [al. aliquandiu] in harum meditatione rerum animam suam effudit; et multipliciter hæc exponens, quantum in se profecerit qui quotidie in illis epulabatur deliciis, quantum nobis profuerit, quibus ejusdem benedictionis reliquias in scriptura servavit, manifestum est legentibus eam.

## CAPUT VII.

*De causa schismatis Romæ, et apud Rogerium regem Siciliae feliciter acta.*

41. Interea litteræ apostolicæ Virum Dei vocant, et ut adsit laboranti Ecclesiæ, supplicent cardinales. Intermittuntur studia, et quæ modo continua erant, interpolatis discursibus resumuntur. Nulla vacatio superest: Servus Dei aut orat, aut meditatatur, aut legit, aut concionatur. Videns igitur executiones frustra expendi [al. obtendi] [et necesse esse obedire mandatis,] convocatos a multis parti-

bus fratres, diu profundeque suspirans, affatur: « Videtis, fratres, in quantis tribulationibus laboret Ecclesia. Pars quidem Petri, et in Italia, et in Aquitania, auctore Deo elisa, jam non parturit, sed abortit. Evasati sunt in his regionibus schismatis defensores. Romæ magna pars nobilium Innocentium sequitur, et favent ei multi fidelium: qui tamen temerariæ multitudinis impetum formidantes, non audent publice confiteri, quem Innocentio firmavere, consensum. Conjuratores habet Petrus homines perditos, quos corrupit pecunia: et munitionibus eorum occupatis, non Simonis Petri fidem, sed Simonis Magi repræsentat præstigijs. Contra unam gentem, Occidente edomito, superest lucta. Orantibus vobis et jubilantibus Jericho ruet; et cum extenderitis ad Deum cum Moyse manus, Amalech victus aufugiet. Josue pugnat, et ut ad consummationem victoriæ dies sufficiat protelata, soli ut stet, non tam orat, quam imperat: et meretur fides tam solis obedientiam, quam de hoste prostrato victoriam. Nobis igitur pugnantibus vos ferte præsidium, et auxilium de cælo supplicibus animis implorate. Agite quæ agitis, et state in gradu quo statis: et licet nihil vobis conscii sitis, iudicio tamen vestro non aestimetis vos justos, quia solus Deus quos justificat iudicat, et perfectissimus quisque iudicii 1109 divini districtum examen ignorat. Judicari autem ab humano die non multum curetis, neque vestra propria, neque aliena iudicia approbantes; sub timore Dei sic state, ut nec vos quempiam iudicantes aliquando extollamini; nec aliorum curantes iudicia, excidatis in nugas: singula vero prosequentes, vos servos inutiles reputetis. Eundem est autem quo nos obedientia vocat, et hujus domus fraternitatem [a. paternitatem], et vestri custodiam Deo, pro quo hunc assumimus laborem, confidentes de ejus clementia, tradimus et commendamus. »

42. Hæc dicens, et benedicens, flentibus universis discessit: et cum multa reverentia ubique susceptus, demum Romam pervenit. In cujus adventu tam dominus Papa, quam fratres lætati sunt; et communicatis cum eo consiliis, secundum rerum proventus et statum causarum Abbas alia via aggreditur: nec in curribus, nec in equis spem ponens, sed colloquia quorundam suscipiens, seiscitatur, quæ sit eorum facultas, qui fautorum animi; utrum errore, an malitia seducti, tantum scelus protrahant et protelent. Intelligit ex secretis clericum qui cum Petro erat, de statu suo sollicitum, scire quidem peccatum, sed non audere reverti, ne perpetua notatus infamia, vilis inter cæteros haberetur: et malle sub umbra honestatis interim sic esse, quam expelli a sedibus suis, et publicæ mendicitati exponi. Eorum qui de Petri prosapia erant, hæc erat responsio: quia jam credi eis a nemine posset, si demembrarent genus suum, et eum relinquere, qui cognitionis suæ caput esset et dominus. Cæteri juramento fidelitatis excusabant perfidiam, nec ali-

quis ex sana conscientia parti illi conferebat suffragia. Denuntiabat itaque eis Abbas colligationes impietatis esse sacrilegas, et profanas conspirationes legibus et canonibus condemnatas juramentis non posse muniti; non posse, nec debere veritatis sacramenta mendacio suffragari. Insanire autem eos, qui rem illicitam sacramenti patrocinio constare existimant, cum oporteat extraordinarias pactiones quocumque religionis obtentu sancitas, revocari [al. evacuari] in irritum, et auctoritate divina dissolvi. Auditis his aliisque Viri Dei sermonibus defluebant a Petro, et quotidie partis illius dissociatis agminibus, vincula rumpebantur: ipsius quoque Petri animus tabescebat, quia se quotidie minui, Innocentium vero crescere minime dubitabat. Defecerant pecuniæ, contabuerat curiæ amplitudo, aruerant ministeria domus. Rarus mensam ejus frequentabat conviva, delicia in plebeia cibaria commutata, cultus obsequentium vetustate obscurus, [maeri et acuti] stipendiarii ære alieno oppressi, et tota domus effigies pallida, dissolutionem proximam indicabat.

43. Interea rex Siciliae Rogerius, qui solus jam ex principibus obedire papæ Innocentio detrectabat, ad eum mittit, petens, ut Haimericum cancellarium suum, et Abbatem Claræ-Vallensem ad se mitteret; nihilominus a Petro Leonis idem petens, ut Petrum sibi Pisanum a suo latere delegaret. Aiebat autem se dissensionis hujus, quæ jamdiu induruerat, velle scire originem; et cognita veritate, aut corrigere errorem, aut sancire sententiam. Mittebat autem in dolo, quia audierat Petrum Pisanum eloquentissimum esse, et in legum et canonum scientia nulli secundum; putabatque si eloquentiæ ejus in publico consistorio audientia præberetur, declamationibus rhetoricis simplicitatem Abbatis posse obrui, et silentium ei vi verborum et pondere rationum imponi. Ne diu morer, venit pars utraque Salernum. Sed militaverat ultio, et prævenerat tanti sceleris machinamentum. Parato namque ad bellum innumerabili exercitu adversus Rannulfum ducem, idem rex in campum armatas produxerat acies: cum subito viso duce audacter obviam procedente, territus fugit, effusumque exercitum prædæ, et cædibus exposuit, et innumeris militibus captis et interfectis, invitus Ducem ditavit opibus, gloria sublimavit. Quæ quidem ei juxta verbum Viri Dei omnia contigerunt. Cum enim primus eorum qui vocati fuerant Abbas sanctus adveniens, Regem in castris positum invenisset, per multos dies vicinas acies, ne committerent, impedit: denuntians Regi, « Quia si 1110 conflictum inieris, victus et confusus abibis. » Novissime vero cum ejusdem regis plurimum crevisset exercitus, ignorans quod non in multitudine foret eventus belli, Virum sanctum quærentem ea quæ pacis erant, ulterius audire contempsit.

44. At ille duce Rannulfum; et Catholicorum aciem verbis potentibus adhortatus, sicut Regi fu-

gam, sic illis victoriam pollicitus est et triumphum. Cumque ad proximam villulam declinasset, et instaret orationi, repente fugientium et insequentium clamor auditur. Siquidem per eundem locum fugientem Regis exercitum Rannulfus persequatur. Egressus itaque frater quidam ex his qui cum Abbate erant, uni ex militibus occurrit, et quid accidisset, interrogabat. At ille, siquidem litteras noverrat: *Vidi, inquit, impium superexaltatum et elevatum sicut cedros Libani; et transivi, et ecce non erat (Psal. xxxvi, 35, 36).* Nec mora, Dux ipse secutus, ut monachum vidit, sicut erat armatus, equo desiliit; et ejus pedibus advolutus: « Gratias, inquit, ago Deo, et fidei servo ejus, quia non nostris viribus, sed ejus fidei collata hæc victoria est. » Iterumque insiliens equo, hostes insequatur.

45. Nec tamen hac plaga, sibi inflicta cœlestis, correctus est animus Regis, nec detumuit procella quam conglomeraverat prævæ mentis elatio: sed post fugam reversis qui evaserant, simulans alacritatem, regio se ornata attollens, stipata militibus curia, utramque partem præcipit accersiri; et prius instructo Petro, et multarum promissionum auctoramentis accenso, de causæ suæ rationibus eloqui jubet. Prior itaque Petrus electionem domini sui canonicam probare contendit; et verba sua multis legum et canonum assertionibus munit. At vero Vir Dei non in sermone, sed in virtute regnum Dei esse intelligens: « Scio, inquit, Petre, te virum sapientem et litteratum esse; et utinam senior pars, et honestiora te occupassent negotia! utinam te patronum causa justior et felicior obtineret! et sine dubio rationabilia allegantem nulla posset impedire facundia. Et nos quidem agrestes, sæpius ligonibus quam pragmaticis advocacyibus [al. declamationibus] assueti, si causa fidei non urgeret, institutum silentium teneremus. Nunc autem cogit nos charitas eloqui, quia tunicam Domini, quam in tempore passionis nec ethnicus præsumpsit scindere, nec judeus, fautore hoc Domino, Petrus Leonis lacerat et dirumpit. Una est fides, unus Dominus, unum Baptisma. Nos neque duos dominos, nec geminam fidem, nec duo baptismata novimus. Ut ab antiquis ordiar, una arca tempore diluvii fuit. In hac octo animæ, cæteris omnibus pereuntibus, evaserunt; et quotquot extra arcam inventi sunt, perierunt. Arcam hanc typum tenere Ecclesiæ, nemo est qui ambigat. Arca alia nuper fabricata est, et cum duæ sint, alteram necesse est esse adulteram, et in profundum demergi. Arca, quam regit Petrus, si ex Deo est, necesse est ut arca, quam regit Innocentius, obruatur. Peribit ergo orientalis Ecclesia, peribit Occidens totus: peribit Francia, peribit Germania: Iberi et Angli, et barbara regna in profundum pelagi demergentur. Religio Camaldrensium [al. Camaldulensis] et Carthusiensis, et Cluniacensis, et Grandimontensis, et Cisterciensis, et Præmonstratensis, aliaque innumerabilia servorum, et ancillarum Dei collegia necesse est ut sub uno

turbine corruant in abyssum. Episcopos, et abbates, et reliquos Ecclesie principes collo præcipiti mola asinaria alligata pelagus vorax excipiet. Solus ex principibus mundi arcam Petri intravit iste Rogerius, et cæteris omnibus enecatis, solus ipse salvabitur? Absit ut totius mundi religio pereat, et ambitio Petri, cujus vita palam est qualis exstiterit, regnum cælorum obtineat!

46. Ad hæc verba non se poterant ultra, qui præsentem aderant, continere, sed abominati sunt et vitam Petri Leonis, et causam. Abbas autem tenens manum Petri Pisani elevavit eum, et simul ipse surrexit: « Tutio-em, » inquit, si mihi credas, intrabimus arcam. » Et sicut jam pridem mente conceperat, salutaribus illum aggrediens monitis, cooperante gratia Dei, protinus persuasit ut ad Urbem rediens, Innocentio papæ reconciliaretur. Soluta concione, Rex cæcædem voluit obedire, quia sancti **IIII** Petri patrimonium, quod in Cassinensi et Benevanta provincia amplissimum est, cupidus occupaverat, putabatque huiusmodi suspensionibus aliqua a Romanis extorquere privilegia, per quæ in jus proprium deinceps sibi stabiliretur hæreditas. Sic Herodes visum Salvatorem contempsit, et quem desideravit absentem, contempsit præsentem (*Luc xxii, 8, 11*). Sic omnipotens Deus claritatem, quam accepit a Patre, dedit hominibus (*Joan. xvii, 22*), et contemntes se facit inglorios et erigit in sublime humiliatos. Igitur circa curationem ejusdam viri nobilis, et in urbe Salernitana notissimi, succumbentibus medicis, quorum ibi præcipue ars viget et studium, eidem viro de medicorum auxilio desperanti, noctu quidam per somnium apparens intimavit advenisse Salernum Virum sanctum, et in curationibus efficacem. Hunc inquirere jubetur, et de lavacro manuum ejus bibere. Quæsivit, invenit, aquam petiit, bibit, convaleuit. Hoc verbum per totam urbem divulgatum, ad aures Regis et procerum ejus pervenit. Cum omnium igitur populorum favore, solo Rege in malitia permanente, Abbas Romam revertitur: prædictum quoque Petrum Pisanum, et quosdam alios reconciliat Ecclesie, et Innocentio papæ confæderat.

47. Advenerat tempus, in quo completa Amorrhæi malitia, angelus percussit gladium jam vibrabat, et pertransiens domos, quarum superliminaria sanguis Agni imbuerat, ad domum Petri Leonis veniens, salutare in ea non reperit signum. Percussit igitur miserum, nec tamen illico defungitur: sed datur per triduum pœnitentiæ locus. Ille patientia Dei abutitur, et in peccato suo moritur desperatus. Miserabili pompa corpus ejus effertur, cadaver ejus in latebris sepelitur, et usque hodie fovea illa a Catholicis ignoratur. Attamen pars ipsius, Papam sibi pro illo alterum statuerunt (41); non tam ex perti-

(41) Nomine Victorem.

(42) Codex Corbiensis, *Vir Dei domum revertitur, et duplex exhibens gaudium cum exultatione universæ terræ suscipitur, etc.*

nacia schismatis, quam ut opportunius per aliquam temporis moram papæ Innocentio reconciliarentur: quod sine mora per manum servi sui Christus effecit. Nam et ipse ridiculus pontifex, Petri Leonis hæres, ad eundem virum Dei nocte se contulit: et ille quidem nudatum eum usurpatis insignibus ad domini Innocentii pedes adduxit. Quo facto civitas gratulabunda lætatur, Innocentio ecclesia redditur, Romanus populus ut pastorem et dominum Innocentium veneratur. Abbas Claræ-Vallis in mira reverentia habetur, ab omnibus auctor pacis, et pater patriæ prædicatur. Procedentem viri nobiles prosequuntur, acclamat populus, matronæ sequuntur, et omnes ei prompto animo obsequuntur. Sed quandiu ille gloriam toleravit? quandiu pace fruitus est post tam diuturnum laborem? Nec diem pro anno recipere acquievit. Sedatis omnibus et compositis, vix quinque dies teneri potuit, qui septem annis et ultra pro resarcienda eadem scissione sudavit. Exeuntem Roma prosequitur, deducit clerus, concurrunt populus, universa nobilitas comitatur. Nec poterat sine communi mœrore dimitti, qui colebatur amore communi. [Lacrymantur post eum, et se ab eo postulant benedici, et orationibus ejus cum omni devotione se commendant.]

48. Accepta ergo ab Innocentio licentia, confirmata pace, vir Dei regreditur; et maximum domi reportans gaudium, a fratribus cum gratiarum actione devote suscipitur (42). Interea Romæ Innocentius potestative agenda disponit, undique visitatores occurrunt. Alii cum negotiis, alii tantum gratia congaudenti adveniunt. Processiones per ecclesias solemniter celebrantur, depositis armis ad audiendum verbum Domini plebes occurrunt. Post multifarias egestates in brevi civitas opulenta refloret: quæ discordiæ tempore distracta fuerunt, pax solidata reducit et revocat. Arantur solitudines et deserta pinguescunt. Requiescunt singuli sub vite et ficulnea sua: nocturnæ silent excubiæ, et apertis januis, omnis timor excluditur. Dato tempore Innocentius Ecclesie ruinas restaurat, recolligit exules, ecclesiis antiqua servitia, **IIII** depopulatas colonias expulsis restituit, insuper et congrua dona largitur. Monasterium etiam apud Aquas-Salvias (43) in sancti Anastasii martyris honore constituit; quod quidem ibi prius fuerat, sed hoc tempore sola ecclesia, deerat habitator. Constructis itaque cœnobialibus mansionibus, et reformata ecclesia, assignatis etiam ad alimonias domibus, agris, et vineis, a Clara-Valle abbatem et conventum fratrum sibi mitti dominus Papa petiit, et obtinuit. Mittitur ergo Bernardus (44), Pisanæ olim ecclesie vice-dominus, et religiosus cum eo fratres, qui secundum beati Benedicti Regulam in eodem loco Domino deservirent. Cito profecit illa plantatio, et associatis sibi viris indigenis

(43) Ibi cœnobium monachorum Honorius I instituerat anno 626.

(44) Cognomento de Paganellis.

servorum Dei multiplicatus est numerus; et pascua congrua nutrimentis multiplex in brevi producere peculium.

#### CAPUT VIII.

*De præsulibus Ecclesie e Clara-Valle progenitis. De insigni pietate comitis Theobaldi, ejusque gravi tribulatione.*

49. Abbas sanctus ad studia sua reversus, dilectum amplectitur epithalamium. E diversis etiam regionibus odore religionis illius ubique diffuso, fratres ad fundanda monasteria invitantur. Fundata quoque et statuta ditioni ejus sese subjiciunt, et arctioris ineunt regulas disciplinæ. Sed et diversarum regionum civitates ex hoc collegio meruere episcopos. In primis Roma summo ornatur Pontifice. Præneste Stephanum habuit tolius modestiæ [*al. gloriæ*] virum, Ostia, virum magnum Hugonem. In ipsa quoque Romana curia Henricus, et Bernardus alter presbyter, alter diaconus ordinati sunt cardinales. Prope urbem Romam Nepa quoque sub Huberto refluunt. In Tuscia, Pisis natalis soli gloria, et magnum Ecclesie lumen Balduinus effulsit. Citra Alpes Lausannæ datus est Amedeus; Seduno, Garinus; Lingonis, Godefridus; Autissiodoro, Alanus; Nannetis, Bernardus, Belvaco, Henricus; Tornaco, Giraldus; Eboraco, Henricus. In Hibernia duo episcopi, re et nomine Christiani. In Alemania civitate Curia Algotus, sapientia, ætate et gratia reverendus. Hæc luminaria de Clara-Valle assumpta fulgore puro prædictas urbes sua illustrare præsentia, et pastoralis officii elucidantes gloriam, exemplum cæteris episcopis facti sunt doctrinæ et vitæ, et in altitudine sua semper humiles constiterunt.

50. Defuncto siquidem Innocentio papa, et successoribus ejus Celestino et Lucio quam velociter consummatis, Bernardus quem prius apud sanctum Anastasium abbatem diximus ordinatum, Papa Urbis efficitur, et Eugenius tertius appellatur. Hic seditione orta in populo, pulverem pedum in litigantes excussit, et relictis eis, in Franciam venit. Cumque se Romæ comederent ac morderent, et se invicem consumerent, expectavit in pace, donec fatigati conflictibus et damnis afflicti, ejus præsentiam cuperent et optarent. Qui interim celebrato Remis consilio Claram-Vallem humiliter visitat, et gloriam pontificatus Romani pauperum representat aspectibus. Mirantur omnes in tanta altitudine humilitatem immobilem, et in tam excellenti culmine propositi sancti permanere virtutem; ut altitudini sociata humilitas pro officio exterius splendeat, et pro virtute nequaquam interius inanescat. Adhærebat carni ejus lanea (45) tunica, et diebus ac noctibus cuculla vestitus sic ibat, et sic cubabat. Intus monachi habitum retinens, extra se pontificem et

(45) Vide religionem in summo pontifice, qui non lanea interula, sed tunica corpori adherente utebatur, nec cucullam de nocte etiam in lecto adjiciebat, non scapulari, quod tunc non licebat, teste

PATROL. CLXXXV.

moribus, et vestibus exhibebat: rem difficilem agens, diversarum in uno homine proprietatem exprimens personarum. Segmentata ei circumferebantur pulvinaria. Lectus ejus pallis opertus cortina ambiebatur purpurea; sed si revolveres operimenta, invenires superjectis laneis complosa stramina, **IIII** et paleas conglobatas. Homo in facie. Deus videt in corde: ipse vero bona coram Deo et hominibus providebat. Alloquitur fratres non sine lacrymis, miscens sermonibus avulsa a corde suspiria, hortatur et consolatur, et se inter eos fratrem et socium, non dominum exhibet, vel magistrum. Cumque ibi morari diutius non pateretur magna eum prosequens comitantium multitudo, salutatis fratribus iter in Italiam dirigens abscessit et ad Urbem pervenit.

51. Scripsit ad eundem papam Vir sanctus multæ subtilitatis (46) librum [*al. utilitatis*], in quo acutissima indagazione tam ea quæ circa eum, quam quæ infra sunt, prosequens, etiam ad ea, quæ supra ipsum sunt, ascendens, tanta de natura divina disseruit, ut videatur in tertium cælum assumptus audisse quædam verba quæ non licet homini loqui, et regem in decore suo vidisse. In his quæ infra, et quæ circa ipsum sunt; morum societas, naturæ æqualitas, officiorum distantia, consideratio meritorum, adjudicatio proventuum subtilissime distinguitur, et singulis in suo genere sui cognitio intimatur. In his quæ supra hominem sunt, speculatur cœlestia, non eo modo, quo Angeli, qui semper adhærent Deo, considerant; sed eo modo, quo potest homo puri animi et mentis sinceræ divina contingere, et conformari hierarchiæ cœlesti sacerdotium temporale. Cum enim in cœlesti militia constet alios aliis principari, et ministeriales spiritus, ad nutum superiorum potestatum, ad diversa officia delegari; quidam vicini assistentes ab ipso accipiunt, quæ aliis, vel agenda, vel intelligenda insinuant. Cumque exigat homo præposituræ suæ reverentiam exhiberi, ad honorem summæ potestatis cuncta referri necesse est: quia cum sit subditus homini homo, vel spiritui spiritus, subdi maxime oportet Deo, de cujus munere datur ista prælatio, et quo docente fit ut pateat homini tam cognitio sui, quam per fidem et spem ad divinam contemplationem pro modo data et indulta accessio. Dictabat Vir Dei, et nonnumquam scribebat, in tabulis cereis [mella restituens, et quidem gratiora prioribus], non patiebatur perire inspirata sibi divinitus. Sedabat lites ecclesiarum, et appellaciones importunas, quas inter se discordes clerici concitabant, blando spiramine componebat. Interdum etiam durius increpante eo, redibat tranquillitas, et detumescentibus procellis, qui seditiosi ante eum venerant, et bile diffusa scaturientes declamationibus, pacifici revertebantur.

Herberto in lib. II *De miraculis Cisterciensium*, cap. 35. Bernardo ob infirmitates permissus lanei indusii usus, cum pileo simili, infra lib. III, num. 5.

(46) Libros quinque.

52. Adhæsit ei præ cæteris quidem principibus comes Theobaldus, et dilectionem opere prosecutus, et se, et sua in subsidia Claræ-Vallis exposuit, et in manibus Abbatis posuit animam suam, deposita altitudine principali, se inter servos Dei conservum exhibens, non dominum; ut obediret ad omnia, quæcumque domus illius infimi postulasent [al. imperassent]. Emebat igitur fundos, construebat domos, abbatibus novis præbebat impensas; et ubicumque servi Dei extendissent propagines, delegabat pecunias: non unam domum, sicut Salomon Jerosolymis, statuens; sed ubicumque hujus schematis consedisset personæ, satagebat eis ministrare necessaria, quasi Christo in terris præsentis propriam faceret mansionem. Sed et hoc in arbitrio Viri Dei posuit, ut quibuscumque egentibus eo mandante ad opus Dei sumptus præberet. Videns igitur Abbas (47) promptum Principis animum, pietatem accendit, et maxime quidem domesticis fidei voluit eum esse obnoxium; et immortalia templa fundare consuluit, et eleemosynas ea sagacitate disponere, « ut semper fructitantes redivivis et renascentibus accessionibus novas semper eleemosynas parturirent. Deinde egenis, quos hac atque illac quasi vespæ pungentes stimuli paupertatis exagitabant, omnimodis docuit misereri; aliis indumenta, aliis alimenta largiri monuit: et suggestit, ut per se ipsum xenodochia visitaret, nec horreret, aspectus [al. aspectu] languentium; quia in hoc duplicaretur clementiæ bonum, si et videret, et foret; si consolaretur, et reficeret. Humiliare pauperum oppressores, defendere pupillum et viduam, misereri et commodare, sermones in judicio disponere, providere quieti Ecclesiæ, rationem gladii intelligere quasi elementarium **1114** instruxit, summam principalis officii ei intimans, et hoc a principe requiri ex debito, ut laudi bonorum et vindictæ malorum intendat. »

53. Hæc et alia hujusmodi salubria monita homo rationabilis reverenter accipiens, luxum curiæ, et fastum altitudinis in humilitatem et honestatem convertit: nec erat qui in præsentia ejus auderet aliquid indecens vel agere, vel loqui; sed in hoc etiam ei placere studentes, sive ficto, sive puro animo ea, in quibus dominum suum delectari videbant, ipsi quoque sæpius factitabant. Introducebant igitur ad eum, qui familiariter ei assistebant, pauperes patientes calumniam, nuntiabant languentes in plateis jacentes, et quoscumque in amaritudine et miseria constitutos; et ipse oblata sibi occasione clementiæ lætabatur, et altiori gratia amplectebatur, quos de hujusmodi rebus videbat magis esse sollicitos, (48) [Et quia suorum neminem vel in illa curia, vel pro causa illa Vir Dei passus est demorari;] duos religiosos viros de Præmonstratensi Ordine evocatos eleemosynæ suæ præposuit, ad quorum curam spectaret circumire castella et vi-

(47). Vide de eodem infra lib. iv, cap. 3.

cos, in quibus ipse maneret: et de propria mensa languentes et leprosos, qui ibi manebant, quamdiu in illis locis esset, abundanter refici jussit. Sed et aliis pauperibus largas et congruas personis eleemosynas, sive in cibis, sive in vestibus, eorum ministerio donari instituit. Et illis quidem tantum in domo sua voluit esse dominium, ut potestative, pincernis, et pistoribus, et coquis, et reliquis ministerialibus, quæ vellent juberent, quæ placeret tollerent; nec esset qui aliquid prohibere auderet, vel referret ad Comitem, si in aliquo prodigi viderentur. Sed et viri illi timentes Deum, et tam ei placere, quam Comiti cupientes, nec magnificentiam Principis minuebant, qui charitatis plenitudinem de suis impleri præceperat; nec Deo ingrati esse volebant, si invenirentur desides et avari, ubi eo promptos et expeditos dispensatores esse, tam voluntas Dei, quam Principis sufficiens bonitas injunxisset. Erat præterea horum officio deputatum, ut monachis et religiosus viris, quod ad curiam diversa mittebant negotia, hospitia providerent, et de penu et horreo Comitis necessaria ministrarent. Circumferebant etiam rigente bruma, aptatis sarcinis pauperum indumenta, et pelles, et birros, et calceamenta, in quibus nec auxungia deerat, quæ per vicos indigis erogabant. Nullum in comitatu illo clementiæ deerat opus: ad portum illum naufragi omnes tutum habebant refugium. Temporibus famis non, sicut Pharaon, frumenta venundedit populo, nec in servitute sibi erogatis annonis subjecit Ægyptum: sed Abbate sancto, quasi altera Joseph, diviniore usus consiliario, gratis egenis aperuit horrea, nec exhaustis pecunia populum, nec astu circumvenit afflictos, nec re publica ad se translata, privatos in terra cumulavit thesauros; sed in cælo potius thesaurizans infatigabilis distributor, cum magna alacritate et pecunias distribuit, et annonas.

54. Nec defuit viro inhianti cœlestibus magni ponderis et horrenda tentatio: sed aggressus est eum tam Rex, quam principes, et commota est et contremuit terra; et quasi iratus esset ei Deus, rapinis et incendiis fere omnia ad eum pertinentia depopulatoribus exposita erant; et operuit faciem terræ Regis exercitus, et passim omnia vastabantur. Nec erat ei tutum resistere, vel obviare persecutoribus: quia et si deseruerant eum, manifeste infestantes; et qui remanserant, in insidiis, non ad subsidia erant. Undique angustiae graves, quia nec domi sibi cavere, nec extra poterat congrua providere, cum omnino qui sui essent, nesciret; et tam de perfidia refugarum, quam de duplicitate suorum prorsus diffideret. Inter has autem angustias conversus ad Dominum, et de cælo quaesivit auxilium: et accito Viro Dei cujus consilio maxime utebatur, nec desperans de misericordia Dei, hoc ex ejus responsione accepit, » ut intelligeret quia flagellat

(48) Uncinis inclusa exstant in cod. Corb.

Deus omnem filium quem recipit; et hujusmodi correptiones vel purgant vel probant animam (Prov. iii); et gloriosiore fuisse Job cum sederet in sterquilino, quam fuisset cum circumstante exercitu sedisset illæsus in solio (Job. ii). Ostendit ei Vir sanctus Salomonem peccasse **1115** in otio, et abusum bono pacis defluxisse in vitia: cum David pater ejus, Absalon filio persequente, et universo Israel adversus eum armato, permansisset in gratia. Intimavit etiam quomodo ipsum satanas colaphizavit Apostolum, in qua tribulatione immobiliter perseverans illud meruit audire, quia *virtus in infirmitate perficitur* (II Cor. xii, 9-11), et quia in præsentii vita segniores nos faciunt prospera, et circumspectores adversa. »

55. Audiens hæc venerabilis Comes, magnifice animatus, duo immensi ponderis et miri operis vasa aurea (in quibus pretiosissimæ gemmæ habe-

(49) Fortassis hæc erant gemmæ quas a duobus abbatibus ordinis Cisterciensis emit Sugerius, ex lib. *De ejus administratione*, cap. 32. Idem auctor Theo-

bantur inclusæ, quæ in solemnitate coronæ suæ rex Anglorum Henricus avunculus ejus ad ostentationem divitiarum suarum et gloriæ suæ in mensa coram se habere consueverat) sub **1116** omni celeritate proferre jussit in medium; et a corde suo delectationem hujusmodi avellens, gemmas (49) a retinaculis suis jussit abstrahi, et aurum confringi præcepit, ut venderetur, et de pretio eorum dilecta Domino super aurum et topazion tabernacula fundarentur. Nec desistebat Amalech ab infestatione Israel: sed Moyses elevatis in cœlum manibus positus est victoria, et retrahentibus se hostibus Abbas sanctus sequester sollicitus, clamantibus ad Deum et domi plorantibus fratribus, irrupit in acies, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio, et allegationibus divinis intercurrentibus detumescere procellæ, et reversa est inter Regem et Principem tranquillitas, et pacis desiderata serenitas.

baldum comitem *hyacinthos rubeos* ad ecclesiam Sancti Dionysii dedicationem donasse tradit, apud Chesnium, tom. IV, 356.

## LIBER TERTIUS,

AUCTORE GAUFRIDO MONACHO QUONDAM CLARÆ-VALLENSI, ET S. BERNARDI NOTARIO,  
POSTEA ABBATE.

### 1115 PRÆFATIO.

Clarissimi patris nostri Bernardi Claræ-Vallensis abbatis memoriam viri insignes, ad laudem Christi et multorum ædificationem, litteris, commendarunt. Inventæ sane materia uberi, prout cuique licuit, et certior ei gestorum innouit veritas, non eam totam, sed parte aliquas digessere. Videtur autem nonnullis, quod multo minus eum silere debuerat [al. debeat] puer sanctitatis ipsius, dignationis filius, benignitatis alumnus: quem ab ejus uberibus post annos circiter tredecim (quod sine singultu nec meminisse debeo, nec proferre queo) sola tandem, quæ sola potuit, mors avulsit. In quo tibi utinam sibi complaceat etiam nunc, Pater sancte, sicut aliquando videbatur et aliquandiu complacere! Et quis alter tibi tam debitor, quis tam obnoxius, quis tantus? Momordit, fateor, et dure momordit mors improba; sed non totum pariter deglutivit. Amputavit, non exstirpavit; sine misericordia portionem, quæ secontingebat, accepit. Tulit aspectum, tulit eloquium, corporale etiam tulit obsequium: sed non rapuit fidem præsentis etiam nunc opitulationis, non obsorbuit spem futuræ aliquando visionis, non denique in præteritorum memoria altius radicatam filialis assumpsit devotionis affectum. Cæterum mihi quidem, ut optime novi, præsertim tanto idonea operi, nec scientia, nec eloquentia suppetit. Sed tua sone magnalia, et tuas digne eloqui laudes, non Origenis ingenium, non Ciceronis lingua suffi-

ceret, nec desperandum tamen, quod tuorum magis operum fructum carpere prudens lector, quam verborum nostrorum folia indigna debebit: ut illorum magis suavitate gustata, quam istorum ariditate culpata, non tam nequiter ista mordeat, quam illos delectabiliter edat. Nam et securius et sincerius visa solent, quam audita narrari; et in tertium vas transfusa facilius coalescunt. Sed et dulcius ea hibitor aqua, quæ ab exiguo licet alveo fontis hauritur quem confestim repleverit vena scaturiens, quam quæ ex rivo tollitur longius jam progresso, vel ex flumine etiam copioso. Inde est quod intactis eorum libris, qui de ejusdem beatissimi Patris nostri initiis, seu etiam mediis conscripserunt ne tanquam super alienum ædificasse videar fundamentum, circa ea potissimum noster sermo versatur, quibus pene omnibus præsens adfui: interdum etiam, licet pauca interserens, quæ fidelissima **1116** fratrum, qui aderant, relatione, cognovi. Verumtamen opus istud libellis tribus partitum lector inveniet. Quorum primus quidem ea maxime quæ ad habitum, mores, atque doctrinam hujus beati Patris videntur pertinere, prosequitur. Secundus autem virtutes multas per eum factas eloquitur. Tertius in ejusdem bono fine completur. Illud etiam admonendum, id rerum narratione gestarum coherentiam similitudinis magis, quam temporis observari: siquidem nec signa ipsa, nec opera quædam eo ordine scripta quo facta sunt; sed interdum aliqua,